



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117816

§. 46. Valentiniani ad Theodosium Epistola.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66052)

sent. (*) Hæc Epistola tertio Nonas Sæculum V.
 Maji, Valentiniano, & Avieno Consuli- A. C. 450.
 bus, id est, quinta Maji 450. data est. Ep. 51. al.
 Eadem die ad Ravennium Arelatensem 110.
 scripsit, jubens, ut Epistolam suam ad
 Flavianum datam, quam ipsi unacum E-
 pistola S. Cyrilli mittebat, omnibus Gal-
 liarum Episcopis notam faceret. Dicit
 quoque, se Legatos Ecclesiæ Arelatensis
 diutius detinuisse, quod voluisset, ipsos
 eorum omnium testes esse, quæ contra
 novam Hæresin, Incarnationi adversan-
 tem, statuerentur. Hæc verba indicare
 videntur, quod Concilio Romano men-
 sis Octobris elapsi interfuerint; & SS.
 Pontificis voluntas fuerit, ut Episcopi ex
 ipsorum ore, quæ chartæ mandare con-
 sultum non fuisset, discerent.

§. XLVI.

Valentiniani ad Theodosium Epistola.

Imperator Valentinianus Ravenna Ro- Conc. Calc.
 mam profectus est ad Festum S. Petri, p. I. c. 25. 26.
 nempe, ut conjecturæ locus est, anno 450. Ep. c. & post
 sub finem Mensis Junii; Galla Placidia, ep. S. Leon.
 Mater ejus, & Licinia Eudoxia, uxor, 47.
 pia

(*) Der Uebersetzer hat hier eine Note, in wel-
 cher er das Urtheil des heil. Leo durchaus missbil-
 ligt. Wir haben in der kürzlich vorhergehenden
 Anmerkung gesehen, daß er zwar den heil. Leo un-
 verschämmt lästern, aber nicht widerlegen kann.

Sæculum V.
A.C. 450.

piæ Peregrinationis Comites se dedere. Altera, postquam advenerant, die, in Ecclesiam S. Petri se conferunt; peracta Vigilia, nempe ipso Festo, S. Leo, pluribus ex diversis Provinciis Episcopis circumdatus, quippe ad hanc solemnitatem Romanam convenire adsueverant, ubi perlutæ preces, coram Altari, in conspectum Imperatoris, & Reginarum processit, inter viriles gemitus rogans, ut Fidei Catholicæ periculo, in quo versaretur, maximo, moveri se paterentur; tum miserum Religionis statum in Oriente referunt, & Flavianum per summam injuriam a Dioscoro depositum. Supplices igitur Cæsarem, & Principes Fœminas per Sanctitatem Loci, in quo starent, obtestabantur; ad Imperatorem Theodosium scriberent, peterentque, ut Concilium totius mundi, & œcumenicum convocaret, quod tantis malis remedium afferret. Hæc S. Leonis postulatio, Episcoporum preces, & populi acclamationes in Acta relatæ sunt.

Ergo Imperator Valentinianus ad Theodosium scripsit; rogabat, ut S. Petri Dignitatem, & Primatum supra omnes Ecclesias ab Antiquitate Episcopo Romano concessum, tueri vellet, ita ut libere de iis, quæ Fidei sunt, decernere, & ipsos Episcopos judicare possit. *Hinc enim Episcopus Constantinopolitanus, inquit,*

Concilio

Conciliorum Canones secutus, ad ipsum ap- Sæculum V.
pellavit. Gratissimum igitur mihi, & A.C. 450.
Ecclesiæ feceris, si mandaveris, ut, omni-
bis mundi Episcopis in Italia congrega-
tis, Papa unicum ipsis totam causam re-
tractet, atque Fidei, & Religioni consen-
taneum ferat Judicium. Ambæ Impe-
ratrices in eundem sensum scripserunt.
 Placidia item suo nomine scripsit ad Pul-
 cheriam, hortata, ut in eundem finem
 consequendum operam conferret.

S. Leoni Imperator Theodosius ad E- *Ep. 52. ad 23.*
 pistolam Synodalem Mensis Octobris,
 anni 449. dederat Responsorias, in quibus
 dicebat, Concilium Nicænum sufficere,
 nec opus esse, ut novum convocetur, pe-
 tebatque, ut Papa Anatolii, Episcopi Con-
 stantinopolitani, in locum Flaviani electi,
 Ordinationem ratam haberet. S. Leo
 noluit Confirmationem præcipitare, sed
 distulit, donec de Fide Anatolii sibi ple-
 nius constaret, petiitque, ut Fidem co-
 ram omnibus Clericis, & populo profi-
 teatur, & confessionem manu sua scri-
 ptam ad S. Sedem mittat, in omnibus
 Ecclesiis promulgandam; Ea Epistolæ S. *S. Leo*
 Cyrilli ad Nestorium, & ipsius Papæ,
 S. Leonis, ad Flavianum datæ consenta-
 nea sit, illosque, qui aliud de Mysterio
 Incarnationis crederent, a sua Commu-
 nione rejiciat. Tum subjungit: *Mitto*
Fratres meos, Abundium, & Asterium,
Hist. Eccles. Tom. VI. L1 Epis-

Sæculum V. *Episcopus, & Basilium, & Senatores*
A. C. 450. *Presbyteros, ut si Episcopus Constantinopolitanus eandem Fidem confiteatur, & pace Ecclesiæ gaudeamus, & si aliqui ea recedant, Clementia Tua Concilium Occumenicum in Italia agi concedat, quod Synodus, in hunc finem Romæ congregata, mecum petiit.*

Ep. 53. al. 34. Simul ad Faustum, Martinum, aliosque Abbates Constantinopolitanos, numero sedecim, scripsit, rogans; cum suis Legatis operam jungerent, & efficerent, ut ab Anatolio publica Fidei Professio exigetur. Hæ Epistolæ ad Imperatorem, & Abbates eadem die decimo sexto Kalendas Aug. Valentiniano, & Avieno Consulibus, id est, 17. Julii, anno 450. datae sunt. Triduo posterius ad Imperatricem Pulcheriam in eundem finem scripsit.

Conc. Calc. p. I. c. 29. 30. 31. In Responso Theodosii ad Imperatorem Valentinianum, & ambas Imperatrices, Placidiam, & Eudoxiam, nihil præter humanissimas formulas continebatur; nisi quod summatim se Religioni addictissimum affirmabat; cæterum ea, quæ Religionem respicerent, ad Papam perscripsisse aiebat, tamque Concilium Ephesinum, quam Depositionem Flaviani rata habenda esse contendebat. (*)

§. XLVII.

(*) Wiederum eine Anmerkung des Ueberse-
 gers.